

Tom: LXVI. Miscell.

G. H. EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
17-18.

SIGNAT. 1515 CCCXIII.

CJ 3.

D. O. M. A.
THEOREMATA TRIA
THEOLOGICA
Ex aureo illo Johannis Baptiste de
CHRISTO oraculo: Ioh. 1, 29.
ECCE, AGNUSILLE
DEI, QUI TOLLIT PEC-
CATUM MUNDI.

*Ordinarie Disputationis loco, in illustri Acade-
mia VVitebergensi proposita:*

&
Calvinianorum, GRYNÆI potissimum strophis ac
Sophisticationibus opposita:

Autore & Preſide

LEONHARTO HUTTERO:

SS. Theologiæ Doctore, & Professore, P.

Respondente,

**M.ÆGIDIO STRAUCHIO, VVITE-
bergenſi, Collegij Philosophici Adjuncto.**

a. d. ult. Martij: horis à sexta matutinis.

WITEBERGÆ,

Typis Cratonianis per Iohan. Gorman.

ANNO M. DC. IX.



Σὺν θεῷ

PROPOSITIO I.

 U M secundūm authenticam Apostoli, Rom. 12, 11. Tempori su seruidum : rectissimē fecerimus , si, posthabitis Quæstionibus alijs, eam sub disquisitionem vocemus materiam , quæ præsenti serviat tempori : & tūm CHRISTI Servatoris nostri officium , tūm Redemtionis nostræ negotium , accuratiūs contemplandum , ob oculos constitutat.

II.

Cærerūm ex universa Scriptura Sacra, cœi gemma quædam...
Splendidissima elucet, Oraculum illud dēm nōr. Johannis Baptiste, de
CHRISTO editum, Joh. 1, 9 :

Ιδε ὁ ἀμύνως τοῦ Θεοῦ, ὁ αἰρέων τὴν ἀμαρτίαν
Ἐκόσμου.

Ecce, agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.

III.

Dignum profectō, cuius non singulas tantūm voces : sed singularum etiam vocum singulos quasi apices pressiūs evolvamus.

IV.

Idque propter insignem μηδεδέπιν, quā Joh. Jacob. Grynæus, part. 3. Voluminis primi Theorematum Theologicorum, pag. 28. &c seqq. oraculo huic nebulas offundere : alienum sensum affinge-re: omne denique Solarium, quod indē perturbatis conscientijs poterat esse reliquum, in absynthium convertere studuit.

I. BASIS AUREA.

V.

Exorsus est Baptista suum de CHRISTO oraculum , à particula

A 2

ECCE;

Ecce; quæ geminam in Scripturis vim obtinet: *Demonstrandi unam
Exaudiandi alteram.*

VII.

Utrumque nimis rūm pensi habuit: tūm, ut digito indice mōrātaret eum præsentem, quem tam diu multumque, tot tantisque precibus, gemitibus, suspirijs, fideles qui que Veteris Testamenti venturum præstolati fuerant: tūm ut animos Auditorum attentiores redderet, alacrioresque ad amplexandum Messiæ jam præsentis officium, quod cum æterna ipsorum salute coniunctum esset futurum.

VII.

*Tom. I operum
pag. 61.* Brevi admodum tempore, Prophetas simul & apostolus, Baptista effectus est. Quem enim venturum prædicabat, hunc jam monstrat præsentem: propterea, Prophetarum mensuram excepsit: uti Salvator de ipso prædixerat: Matth. 11, 9, & 10. Cyril. lib. 2. in Joh. cap. 1.

VIII.

Quare (uti idem Cyrillus scitè infert) non iam dicit: *Preparare viæ ejus, ut prius: sed cum præsens oculis cerneretur is, prope quæ preparatio facienda erat: non illo modo prædicandum: sed planius explanandum erat, quis iste præsens esset, & quamobrem à Cœlo ad nos descendederit: Ecce igitur, inquit, Agnus ille Dei,* &c.

IX.

AGNUM vocat Christum tūm analogiè, tūm materialiter.

X.

Analogiè: Primum ratione Sacrificiorum Veteris Testamenti, quæ tūm adhuc in usu erant: non alijs modò animalibus; Sed & agnis potissimum in Sacrificiorum materiam venientibus. Num. 28, 3. & seqq.

XI.

Deinde verò respectu anniversarij & solennis illius epuli, quo singulis annis semel in solennitate Paschali agnus per singulas domos sive familias maestabatur: in recordationem miraculosa abe rationis ex Ægypto. Exod. 12, 3. & seqq.

XII.

Materialiter: quatenus Christus revera erat Agnus ILLUS, nimis tūm quem tūm Sacrificia illa Veteris Testimenti: tūm præcipue agnus ille Paschalis præfiguraverat.

Nec

XIII.

Neque enim sacrificia illa vim expandi peccata ex se obtinebant: sed tantum typicè, quatenus figuram ac typum gerebant illius victimæ sive agni, qui in plenitudine temporis pro peccatis totius mundi esset immolandus.

XIV.

Cujus rei integrum quasi commentarium suppeditat Epistola ad Hebreos cap. 9, 6. &c seqq. Huius ita ordinatis in prius quidem Tabernaculum quovis (tempore) ingrediebantur Sacerdotes, sacrificia offerentes: In secundum autem semel quot annis solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro seipso, & pro populi ignorantis. Hoc declarante Spiritu Sancto, nondum patet, etiam siuisse viam & Sacramentum, priore Tabernaculo adhuc considente: Quod erat exemplar pro tempore illo presenti, quo dona sacrificiaq; offerebantur, quæ non poterant in Conscientia sanctificare offerentem. Adveniens autem CHRISTUS Pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius Tabernaculum, non manu factum, neque ejusdem cum illo structura: neque per sanguinem virorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in Sancta, eterna redemptio reperta.

XV.

Est ergo CHRISTUS Servator, Agnus ille immaculatus, de quo in Vetere Testamento jam olim Propheta: tanquam ovis ad macellatum ductus est, & sicut agnus coram tonfore suo obmutuit: Jes. 53, 7. In novo autem Apostolus: 1. Cor. 5, 7. Pascha nostrum pro nobis immolatum, est CHRISTUS; & Petrus 1. c. 1, 19. Christus est agnus immaculatus & innocentianatus, cuius pretiosus sanguine redemi sumus.

XVI.

Nominat vero Johannes CHRISTUM non nudè aut simpliciter agnum: sed AGNUM DEI, ad differentiam agnorum Leviticorum & brutorum: i. quia ab ipsomet Deo, non ab hominibus, hæc victima erat destinata: secundum illud Apostoli, Rom. 3, 25. DEVS proposuit CHRISTVM IESVM propitiatorium in sanguine ipsius.

XVII.

2. Quia Agnus iste Dei, est plena, sufficiens, perfecta, omnibus numeris absoluta illa hostia, quæ semel pro peccatis totius mundi erat offerenda & immolanda, Heb. 9, 28.

XVIII.

Hoc ergo agno D[omi]ni actu jam exhibito, & mactato, haud minus absurdī & ridiculi sunt Romanenses, quod quotidianam Christi immolationem in Missa fieri nugantur: quam si hodieque agnorum & vitulorum Leviticam mactationem, oblationemque urgerent.

XIX.

Est enim Agnus iste Dei, Agnus Novi Testamenti, in modo vera illa Novi Testamenti substantia: qua: quia perfectissima; repetitionem crebram oblationis non admittit: Heb. 9, 25. quia unica: utique Vetus illud Testamentum à Novo, non qualitatibus tantum, sed ipsa substantia segregat & discernit.

XX.

Sed pergit praece noster, & de Agno isto Dei affirmat, quod TOLLAT PECCATUM: utroque vocabulo magnum quid innuens.

XXI.

Nam, ut recte Chrysostomus etiam observavit, non dixit Ioh. Tom. 3. Homil. bannes, Qui tollit, aut, qui tulit: sed qui tollit peccatum mundi: sic perpetuum notans actum, temporis tum præteriti, tum praesentis: tum futuri.

XXII.

Præteriti: Siquidem Christus est agnus occisus ab origine Mundi: Apocal. 13, 8. Heb. 13, 8. ita ut non Sacrificiorum Leviticorum virtute propria: sed typica: hoc est, fideli intuitu Messiae venturi, agni illius immaculati, sub plenitudinem temporis demum actu ipso immolandi, omnes fideles Veteris Testamenti sint salvi.

XXIII.

Tulit hanc definitionem Petrus ipse in Concilio Hierosolymitano, Acto. 15, 11. Credimus nos per gratiam Domini nostri IESU CHRISTI salvati, scilicet & illos, qui Legis jugum portare non potuerunt.

XXIV.

Presentis: Siquidem Christus Iesus est Heri & HODIE, idem in seculo. Heb. 13, 8.

XXV.

Futuri: Neque enim Chrysostomo rursus interprete cum passu est Christus, cum saltē nostra abstulit peccata: sed ex illo hactenus tollit. Non semper crucifigitur: Vnum namq[ue] pro peccatis nostris tulit Sacrificium: sed semper per illud nos purgat.

Id quod

XVI.

Id quod innuit Epistola ad Hebreos 9,12. **ÆTERNAM Redemtionem per Christum acquisitam esse**, afferens.

XVII.

Alterum vocabulum est, **PECCATUM**. Singulari nimirūm, non plurali numero usus Baptista: sic innuens, universam peccati mōlem, quanta quanta, qualis qualis illa sit, Agnum istum suis humeris, pro ineffabili suo robore ac fortitudine gestare: nec gestare modō, sed & penitus eam auferre, inque profundum maris abjicere: Mich. 7,19.

XVIII.

Consonant Scripturæ testimonia alia quām plurima: 1. Joh. 1,7. **Sanguis Je su CHRISTI Filij DEI emundat nos ab OMNI peccato.** Tit. 2, 14. **Christus nos redemit ab OMNI iniquitate.** 1. Joh. 2,2. **Christus est propitiatio pro peccatis.** **Totius mundi, &c.**

XIX.

Quin in specie Scriptura peccatorum actualium disertē meminit: ut cūm 1. Cor. 6,9. & 10. Apostolus benē longūm texuisset Catalogum peccatorum actualium, scortationis, idololatriæ, adulterij, avariciæ, ebrietatis, maledicentia &c. quæ hominem regni Cœlestis exortem faciant, tandem versu 11. disertē subjicit: *Atque hec eratis quondam, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, P E R NOMEN DOMINI JESU, &c.*

XXX.

Quo pertinet etiam illud ~~et tuus es tuus~~, & Joh. 2,2. **Filioli haec scribo vobis, ne peccetis:** *Et si quis peccaverit (en tibi actualia peccata) aduentum habemus apud Parrem JESUM CHRISTUM, Qui est propitiatio pro peccatis nostris non nostris, tantum, sed & pro peccatis totius mundi.*

XXXI.

Hinc epistola ad Hebreos ~~ad nobis~~ notat peccata actualia: **Sanguis inquiens CHRISTI purgat nos ab OPERIBUS mortuis,** cap. 9,14.

XXXII.

Nihil ergo sub complexum peccati venire potest, quod non Baptista sensu collectivo, per singulare (**PECCATUM**) perfirinxerit, quoconque veniat nomine, & vel peccati rationem directe habeat, vel saltem ex peccato emanare queat: qualia sunt: Reatus peccati: Iar Dei; maledictio legis, stipendum peccati, mors nimirūm æterna sive Condemnatio.

Hæc

XXXII.

Hæc enim omnia, non hominum iudicio: non sacerdotis imprecatione: non imputatione facta aut imaginaria: sed voluntate Patris Cœlestis, & quidem realiter (non tamen subjectivè) Agnisti sunt imposita.

XXXIV.

Deus enim in ipso posuit iniquitatem O M N I V M nostrum Jes. 53, 6. adserendum languores nostros, & portandum dolores nostros: vers. 4. ita ut qui peccatum non noverat, translatiè sive imputatiè, verè tamen ac realiter, pro nobis peccatum, vel quod idem est, hostia pro peccato factus sit, 2. Cor. 5, 21.

XXXV.

Et hinc jam emergit verus ac genuinus sensus, verbi Tollendi sive ~~ad~~ed: quod interprete Petro primum idem sonat, ac Partare: 1. Pet. 2, 24. & respondet Hebræo Καὶ Jes. 53, 4. Deinde verò auferendi sensum obtinet; secundum illud 2. Sam. 12, 13. Deus alitius, sive è medio sustulit peccatum: & responderet Hebræo Νῦν: quod est intergum rejicere: ita ut Agnus iste Dei, plenissima peccatorum expiatione & propitiatione facta, à conspectu Dei patris, immo sui ipsius ea amoverit, in tergum quasi suum rejecta singula ac universa, juxta illud Ezechiæ: Ecce, in pace amaritudine mea amarissima: tu autem eruisti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea: Jes. 38, 17.

XXXVI.

Facebat proinde impia vox Scholasticorum, Monachorum, immo ipsius Sanctissimi (si Dijs placet) Concilij Tridentini, contendentis, CHRISTUM originale duntaxat peccatum expiisse, actualia verò nostris satisfactionibus diluenda esse.

XXXVII.

Quam impieratem redarguit potentissimè illud, quòd Baptista asserit, Agnum istum Dei tollere peccata MUNDI: sic disertè inniens, Sacrificium sive meritum Agni istius, ejusdemq; vim & pretium, citra illum aut personarum, aut populorum, aut peccatorum discrimen & respectum, esse UNIVERSALE, hoc est, ad singula & universa peccata, tam actualia, quam originale: ad omnes item omnino homines, tam impios quam pios, tam reprobos quam Eleemos, ratione meriti se extendere.

Illustræ

Illustre hoc oraculum Johannis trium Theorematum Theologicorum ventilandorum ansam & occasionem subministrat.

THEOREMA I.

Vetus & Novum Testamentum non Qualitatibus tantum sive accidentibus: sed ipsa substantia differunt.

I.

Contendit Gens Sacramentaria, distinctionem Testamento-
rum Dei in Vetus & Novum, non esse Generis in species, verum
duntaxat subjecti in accidentia: ac proindè duo hæc Testamenta
non ipsa substantia: sed qualitatibus duntaxat, sive revelationis
modo differre. Pet. Martyr, part. t. Locor. Loco XVI. §. 2.

II.

Assertionis hujus finem constituant istum, ut nimirum obti-
neant: *Vnam eandem, esse Sacramentorum utriusque Testamenti rem sive
substantiam.*

Hinc Grynaeus vol. 2 Disputationum Theol. pag. 125. ex tripo-
de Calviniana, hunc infert Aphorismum: *Signa Sacramentalibus Dei
consilio mutatis, res eadem mansit.*

IV.

Subjicit & hanc dicit: *Si unus idemq[ue] crucifixus Christus, Res est
utriusque Testamenti Sacramentis representata: cum sequitur, abolitis Veterum
Sacramentis eandem rem mansisse. Verum est quod antecedit, ut solidissime
evincit Paulus, quando Patribus nostra, & nobis Patrum Sacra-
menta tribuens, ostendit communem utriusque esse Aperitionem Sanguinis Christi, alimo-
niam spirituali, coram circuncisionem: Et numerò dicam, Christum. Ve-
rum igitur est & quod sequitur. Colligimus itaque, & Patres spiritualiter
mandata esse Christi Iesu Corpus, & bibisse illius Sanguinem.*

V.

Hinc Sophista salsa ridet nostratum Theologorum quendam,
quem ipse Philonidem appellat: *Superest, inquiens, ut ejusdem Phi-
lonidis alias ~~renovato~~ audiamus, Leslie regula nomine indignam: De uno
quoque Sacramento ex suâ tantum naturâ, non ex generali de Sacramentis ratio-
ne judicandum est. Scilicet, quia illi Dialetici homines sunt, Generis, id est,*

B.

animæ-

animalis ratio ipsis non convenit? part. 2. disput., Theolog. pag. 260.

Verum universam hanc structuram evertit oraculum Iohanniticum: *Ecce Agnus ILLI DEI, qui tollit peccata mundi.*

VII.

Neque enim illud tam notat beneficia illa Spiritualia, quae ex immolatione Agni hujus, quem ad Patres Veteris Foederis redundarunt, ac ad fidèles Novi Testamenti redundare possunt: quam ipsam substantiam AGNI hujus,

VIII.

Certe quoad beneficia illa Spiritualia, Remissionem peccatorum, Justificationem, donationem Spiritus Sancti, salutem aeternam: universam denique vim atque efficaciam passionis Christi, facile & ultrò subscriptimus Calvinianis, hoc pacto non ipsa substantia, sed administrationis tantum modo duo duo haec Testamenta differre.

IX.

Hoc enim sibi vult illud Epistolæ ad Hebreos cap. 13, 8. *Iesu Christus est heri & hodie: & idem in secula: & illud Apocal. 13, 8. Agnus occisus est ab origine mundi: scilicet ratione efficaciam meriti Christi, quæ non minus Patribus olim profuit, quam nunc nobis prodest.* Act. 15, 11.

X.

Neque vel Naturæ ordo, vel temporum intervalla, remorari potuerunt efficaciam Gratiae, quæ ex intentione Dei sine ullius temporis respectu, imo extra tempus, jam inde ab origine mundi, omnibus omnino hominibus obtingere debebat;

XI.

Cæterum si de ipsa substantia Agni hujus, ratione cuius Agnus ILLI dicitur, sit Quæstio: luculentum plane inter utramque Testamentum emergit disserimen,

XII.

Dicitur autem, ut supra etiam annotatum, Agnus iste, Agnus ILLI, ratione realis exhibitionis, quæ facta est, in Carne Christi, cuius carnis umbram tantum ac typum gesserunt Agni Veteris Testamenti.

XIII.

Caro ergo haec Agni, quippe Novi Testamenti propria, constituit veram ejus substantiam: quia cum caruerint patres Veteris Testamenti, utique absconum, imo manifestè falsum fuerit: Patres in suis Sacramentis eandem substantiam Novi Testamenti percepisse: uti Sacramentarij nugantur.

Fat.

XIV.

Falsum itidem & absurdum, Testamentum Novum à Veteri, non substantia, sed tantum qualitatibus sive administrationis modo differre: re autem ipsa ac substantia convenire: uti ijdem fabulancur.

XV.

Suffragatur nostræ sententia universa Scriptura sacra: cum primis verò Epistola ad Hebreos, cap. 8, 5. afferens Sacerdotes, Leviticos tantum ~~corda~~ ~~spiritus~~ ~~cora~~ exemplari & umbra rerū cœlestium deservisse.

XVI.

Quod si igitur Vetus Testamentum umbram duntaxat & exemplar rerum futurarum habuit: ~~et auctoritas~~ consequitur: Novum Testamentum ipsam substantiam, rerumq; adumbratarum absolutam continere imaginem ac veritatem sive substantiam.

XVII.

Hoc ipsum sibi vult idem autor Epistolæ ad Hebreos, cap. 10, 1. *Lex inquietus, umbram habuit futurorum bonorum: non ipsam rerum imaginem,*

XVIII.

Et Apostolus Coloss. 2, 17. præcipiens fidelibus Novi Testamenti, observationem Sabbati, festorum, discriminis ciborum, aliarumq; Ceremoniarum Leviticarum, idèo non esse imponendam: *Quia fuerint UMBRÆ rerum futurarum: CORPVS autem sit in CHRISTO;* scilicet jam exhibito.

XIX.

Sed quærat fortassis aliquis, Anne ergò Patres Veteris, Testamenti, suis Sacrificijs præsentem CHRISTUM non habuerunt? Respondeo: Imò vero habuerunt, sed non incarnatum: Verum ~~corporis~~ duntaxat, aliquandò sub plenitudine temporis incarnandum, qui tūm quoque efficaciter per Sacrificia illa operabatur: hoc est, fidelibus applicabat beneficia meriti sui, quod ipse aliquando per carnem in ~~ara~~ crucis esset ipso actu perfecturus.

XX.

Jam verò postquam ~~corporis~~ incarnatus est, & secundum carnem confedit ad dextram infinita virtutis ac Majestatis divinae: utique tām absonum fuerit, ipsum Carne & Sanguine abesse à Sacramentis Novi Testamento, quam absonum esse ac videri potest, si quis vel in Novo Testamento, typos, figuræ, & umbras amplius Corporis Christi quærere: vel Corpus jam actu exhibitum, Figuram aut Typum nominare velit.

XXI.

Accedit, quod Sacramentiorum opinio seipsum evertit: immo illud ipsum, quod negare presumit, manifeste astruit.

XXII.

Quid est enim in fœdere divina Gratia per substantiam uno geminam statuere religionis dispensationem: quam in hereditatis cœlestis negotio, quod est unum utique per substantiam omnibus temporibus, atque apud omnes homines, dispositionem testamentariam geminam constituere?

XXIII.

Nam quemadmodum dispositio ea, qua de bonis ijsdem ad heredes per venturis jure naturæ, caveretur a testatore, quomodo, quo ordine, quo discrimine per voluntatem testantis venire debeant: ita dispensatio ea rectissime Testamentum appellatur, quâ Deus sub hereditatis cœlestis causa & negotio eodem, pro diversitate populorum & temporum, Religionis & cultus modum alium atque alium, pro divina sapientia consilio instituit.

XXIV.

Et quemadmodum absurdus foret, qui testamentariam constitutionem non nisi unam esse posse pugnaret, in adeunda & herculescunda hereditate eadem: ita nihil de rectius sapit, qui propter fœdus & causam salutis eandem, diversitatem divini Testamenti, quoad substantiam, locum habere non posse, colligit.

XXV.

Porrò si ex hypothesi Calvinianorum, una eademque Utriusque Testamenti est substantia: Consequens fuerit, non duo distincta, sed Unum numero Testamentum, jam inde ab origine Ecclesia ad hunc usque diem fuisse, futurumque ad finem usque seculi: id quod manifeste absurdum & Scripturis contrarium.

XXVI.

Sed non abhorrent ab absurditate ista nonnulli ex Calvinianis, qui Testimenti rationem ad doctrinam salutis, & promissionem Gratiae, in Christo factam generi humano, disertè referunt: ac exinde haud obscurè colligunt, quemadmodum una est, atque eadem doctrina salutis: una ante & post Christum natum, Sæculorum Ecclesia: una ad cœlos via: una salvandorum omnium religio: unus Christus: ita unum perpetuum atque invariabile esse Fœdus sive Testamento.

ve Testamentum Dei : illud nimirūm, quod Gén. 17, 7. cum Abrāham Deus pepigerit : *Ego Deus tuus & seminius tui post te.*

XXVII.

Sed Sophistica sunt omnia. Etsi enim res ipsæ, quæ pro palliando illo errore proferuntur, sunt verissimæ : in accommodatione tamen error inest atque falsitas.

XXVIII.

Nam doctrinam salutis, & promissionem gratiæ, in præsenti loco, Testamentum appellari, falsum est.

XXIX.

Deinde, Scriptura sacra non unum, sed duo Testamenta expressè numerat ; Gal. 4, 24. & binarium istum non ex Scriptura tantum elicit : sed ad mysteria ipsa Religionis nostræ accuratè accommodat. Jerem. 31, 31. Matth. 26, 28. Marc. 14, 24. Luc. 22, 20. 1. Cor. 11, 25. 2. Cor. 3, 6. Hebr. 9, 15. & cap. 7, 22. cap. 8, 6. cap. 12, 2, 4.

XXX.

Tùm doctrina salutis diversorum populorum communis est : Testamenta singula, singulorum sunt propria. Qui ergò una eademq; ratio utriusque esse posset?

XXXI.

Quid quòd Testamento Veteri antiquatio sive abrogatio obtigit : Hebr. 8, 13 : quæ certè in doctrinam salutis cadere nullo modo potest.

XXXII.

Tandem manifestis absurditatibus Calvinianorum laborat collectio. Si enim in utroque Testamento una est eademq; substantia, quæ absolvitur figuris, typis & umbris, Sequitur parem etiam esse utriusque Testamenti obscuritatem : *απέλλογοι.*

XXXIII.

Sic à typis Sacramentorum, ad bona & fructus ipsos eorundem vitiosè nimis & *μερικάλογοι* instituitur collectio.

XXXIV.

Præterea typi respiciunt suos archetypos, umbræ respiciunt sua Corpora. Jam ergo si ex Novo Testamento archetypum, hoc est, corpus ipsum Christi tollas, certè *τύποι* evident *τύποι*, & umbræ erunt sine corpore : id quod cù insigni affectu *Διαβόλος* est conjunctum.

XXXV.

Supereft, ut Grynai & reliquorum Sacramentariorum Achil-

B 3 leam

Item ~~et~~ evertamus: quæ sic habet: Vtriusque Testamenti bona sunt
eadem. Iam verò in Veteri Testamento, meriti tantum & beneficiorum Corporis Christi: non verò ipsius Corporis facta sicut communicatio. E. eadem in Novo etiam Testamento obtinet Communicatio. Grynæus Thes. 8, & 10. disputationis de agno Dei tractato.

XXVI.

Verum utraque præmissarum laborat Apoplexiā. Major enim impliciter admittit non potest aut debet, nisi cum luculenta determinatione: ut nimirū concedatur; Illorum ipsorum Bonorum media & organa ~~cooperantes~~ ^{Neglecta}, utrobique esse diversissima.

XXVII.

Minor in eo deficit, quod rei mediatae mentionem omittit. Ea verò sicut signum Elementare: neque hoc tantum: sed semel etiam Typicum: Caro nempē & Sanguis agni tractati.

XXVIII.

Proinde ut Typus iste Veteris Testamenti non singatur fuisse planè ~~utrum~~; vel inviti concedant Calviniani necesse est, Typum illum, omnino in Novo Testamento per Archetypum ipsius Corporis & Sanguinis Christi, compleri debuisti.

XXXIX.

Corrigendus est itaque error Adversariorum in hunc modū, ut ostendatur, Corpus & Sanguinem Christi, non ad classem bonorum ipsorum spiritualium (quæ sane utrobique eadem fuisse, jam supra ostendimus) sed in censum mediorum, hoc est, ipsarum essentialium partium Sacramenti substantiam, in Novo Testamento referendam esse: id quod tūm ipsius Sacramenti institutio, tūm utriusque Testamenti ~~ratio~~ luculenter comprobat & evincit.

THEOREMA II.

Filius Dei carnem humanam neque assumturus, neque in ea passurus fuisset, nisi Homo in peccatum prolapsus esset.

I.

Filium Dei sive ~~λίγον~~, ratione assumptæ carnis sive humanæ naturæ, dici AGNUM, & Agnum quidem tractatum, extra controveriam est positum.

Jam

II.

Jam verò cùm de Agno isto prædicetur, quòd tollat peccata
Mundi: emergit Quæstio: *an nihilominus Filius Dei factus fuisset Agnus,*
sive verus Homo: si vel maximè peccatum in Mondo non fuisset?

III.

Quæstionem hanc directè respicere causam incarnationis *¶ λόγος*
Finalē: eamq; non remotam: sed propinquam, imò proximam;
itidem in confessō est.

IV.

Neque tamen de lana caprina pugnatur: vel in anis curiosita-
tis argui potest hoc *στρίμωνα.*

V.

Si enim *λόγος* nihilominus assumpturus fuisset carnem nostrā,
si vel maximè Homo non peccasset: utique *άεις* peccati, non erit
propria & proxima causa incarnationis *¶ λόγος.*

VI.

Rursus, si falsum est hoc posterius, sequitur causam Finalē.
proximam Incarnationis *¶ λόγος*, fuisse *άεις* peccati: ac proinde *λόγος*
nunquam incarnandum fuisse, si Homo non peccasset.

VII.

De Quæstione hac inter Doctores Scholasticos non conve-
nit: nonnullis in affirmantem; alijs in negantē concedentibus:
alijs assensum in utramque partem suspendentibus.

VIII.

Gabriel statuit probabilitē posse defendi, quòd peccato etiam
non incidente, Christus nihilominus fuisse venturus, ex vi alterius
cujusdam decreti, quo Deus tūm id præordinasset, ob alias causas: in
3.d.2 q. unica. dub. 3.

IX.

Fingit nimirūm Christum divino decreto ordinatum fuisse,
non solum ad eum finem, ut redimeret homines à peccato, sed si-
mul ob aliquem alium finem, independentem à peccato, propter
quem, etiam non incidente peccato, advenisset.

X.

Finem istum nonnulli definint geminum: Unum *Gloriam Dei:*
alterum, *Exaltationem humanae naturae.*

XI.

Sed jam supra admonui, non quarti hoc loco de causa finali
remota: sed propinqua, imò proxima: neque etiam de fine *v*: sed
de fine *q*: uti in Scholis loquuntur.

Quid

XII.

Quid quòd finis est, dependet hac in materia à fine? ita ut nisi Christus redemisset genus humanum à peccato: neque Gloria illa Dei, quam Scriptura celebrat: neque exaltatio humanæ naturæ locum habuisset: secundum illud Psalmi 110.7. *De torrente bibet in via,* propterea exaltabit caput: Et Phil. 2,7. & 8. *Christus exinanivit seipsum formam servi accepta: factus obediens Patri usque ad mortem crucis:* Quapropter etiam Deus ipsum *τα εγύ ψωτε, καὶ οχαριστον αὐτῷ οὐρανοφατε* &c.

XIII.

Sunt alij ex turba Scholasticorum, qui statuant, si maximè Adam non peccasset, venturum tamen fuisse Christum: sed in carne impassibili & immortali. Scotus in 3. d. 7. 9. q. 3. d. 19. q. unica. Alexander Alensis p. 3. q. 2. memb. 13. Albertus M. in 3. sent. d. 20. art. 4. Catharinus tractatu de eximia prædestinatione Christi, Rupertus Abbas Tuiciensis, l. 3. de Trin. c. 20. &c.

XIV.

Sunt & isti eodem decepti falso principio, opinantes, Finem Incarnationis immediatum fuisse exaltationem humanæ naturæ.

XV.

Fuerunt tamen plures alii, qui negantem tenuerunt ac defenderunt: ut Thomas part. 3. q. 1. art. 3. cuius hæc fuit decisio: *Quamvis aliqui dixerint, quod etiam si homo non peccasset, Dei filius fuisse incarnatus: verisimiliter tamen est contrarium.* Ea enim, qua ex sola Dei voluntate veniunt *supra omne debitum creature;* nobis innoscere non possunt, nisi ex autoritate Scriptura, per quam uobis divina voluntas declaratur. Unde cum in S. Scriptura ubique incarnationis ratio ab peccatum primi parentis assignetur, convenientius dicitur Incarnationem fuisse in remedium peccati: & quod si ille non peccasset, Christus non venisset. Quam sententiam sequuntur etiam Bonaventura in 3. d. 1. art. 2. q. 1. Capreolitus in 3. d. 1. q. unica. conclus. 1. Casianus in locum citatum Thomæ, q. 1. art. 3.

XVI.

Quanquam verò sobrietas & circumspetio istorum laudem jure meretur: reprehensione tamen non caret, quod pro puriore hac sententia plerique ipsorum ita disputant, ut sentiant nihilominus contrariam sententiam esse probabilem: Quin ipsorum aliqui utramque sententiam *πολλαμενος* defendere non dubitent: uti cū primis videre est apud Gabrielem in 3. d. 2. q. unica. art. 3. dub. 3.

XVII.

Quid

Quid quod ne quidem moderni Jesuítæ in definienda hac
Quæstione latissibi constant, ita ut Gregorius de Valentia scribere non
dubitaverit, Rem hanc nondum satis esse compertam: Tom. 4. Commen-
tariorum Theol. in Thomam. dñp. 1. q. i. punto 7 p. 74 lit. C. Quæ
Pyrrhonica sive Academica disputationi ratio tandem efficitur ve-
ram causam Finalem Incarnationis $\Sigma\lambda\tau\alpha$, propriamq; ejus affectio-
nem sive naturam penitus amiserint: id quod ex universo Pontifi-
catu Romano evidenter liquet: quippe qui causam istam finalem,
partim sacrilegè è medio sustulit, non Christi amplius incarnationi
& passioni: sed meritis Sanctorum, operibus supererogationis, pro-
priæq; ac infusæ justitiae, Peccatorum $\alpha\gamma\sigma$, in solidum adscribens:
partim verò nefariè eam discerpens ac detruncans: non omnium
omnino peccatorum: sed originalis tantum expiationem, Christo,
Agno illi Dei, adsignans.

XVIII.

Et hic solet esse effectus earum disputationum, in quibus My-
steriorum fidei, non amplius ex Mose, Prophetis, &c. Apostolis: sed
ex lacunis Scholasticorum, Thomistarum, Metaphysicorum, petu-
tur probations, immo decisiones.

XIX.

Sed ad rem: Nos secuti Scripturas simpliciter statuimus, $\lambda\delta\gamma\alpha V$. Verior sententia.
non fuisse incarnandum, si Adam non peccasset. Et per consequens causam fuisse, Li-
berationem Generis humani à peccato.

XX.

Confirmationem ex Scripturis præcipuam perimus, sic cum
Thoma arguentes: Ea, quæ ex sola divina voluntate proveniunt, su-
pra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi
quatenus in Scriptura S. traduntur, per quam divina voluntas nobis
innotescit. Atqui in Scripturis sacris ubique Incarnationis ratio ex
peccato assignatur. Ergo non convenientius modò, non probabili-
ter tantum, non sapientius duntaxat: ut vult Jesuíta de Valen-
tia, loco citato, lit. C. & D. sed certò, necessariò ac piè concluditur,
Incarnationem $\Sigma\lambda\tau\alpha$ non futuram fuisse, nisi ea ad remedium pec-
cati, hoc est, ut Baptista noster loquitur, ad tollendum peccatum or-
dinata fuisset.

XXI.

Minorem Scripturarum oracula & quidem $\nu\nu\zeta\varphi\alpha\zeta$, triplici-
ter confirmant.

XXII.

Primum enim se offerunt ea testimonia, quæ $\Delta\epsilon\pi\phi\delta\omega$ afferunt,

C

Adver.

Adventum Christi idē factum esse, ut tolleret peccatum mundi, ut liberaret Mundum à peccato: qualia sunt, præter oraculum Bapti-
stæ jam explicatum, classica hæc.

Matth. 18, 11. Venit Filius Hominis servare, quod perierat.
Matth. 20, 28. Venit Filius hominis, ut daret animam suam, redemptio-
nem pro multis.

Luc. 1, 78 79. Per viscera misericordie Dei, visitavit nos oriens ex alto:
ut illuminaret eos, qui sedent in tenebris, & in umbra mortis.

Luc. 19, 10. Venit Filius Hominis, querere & salvū facere quod perierat.

Joh. 3, 16. Sic Deus dilexit MUNDUM, ut Filium suum unigenitum da-
ret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam.

Joh. 6, 39. & 40. Hec est voluntas Patri, qui misit me, ut omnis,
quod dedit mihi, non perdam ex eo.

Et hec est voluntas Patri, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & cro-
dat in eum, habeat vitam eternam.

Joh. 10, 10. Ego veni, ut vitam habebent.
Cah. 4, 5. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum
ex malo, ut eos, qui sub maledictione Legis erant, redimeret.

Tim. 1, 15. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus IESU
SUS venit in hunc mundum, ut peccatores salvos facheret.

Heb. 2, 16. & 17. Non Angelos assumisti, sed semen Abrabe: Quia debuit
per omnia fratribus similes fieri, ut expiaret peccata populi.

Joh. 3, 5. Scitis, quia Filius Dei apparuit, ut peccata nostra tolleret.

XX III.

Alterum ex Scripturis præsidium collocant Orthodoxi haud:
inceptè in Typis & figuris Christi. Ut, nisi fuisset diluvium, non fu-
isset arca Noæ, Genes. 6. Nisi tempestas in mari oborta fuisset, Jo-
nas non projectus fuisset. Jon. 3. Matth. 12, 40. Nisi servi Regis fu-
sissent reiecti, Filius nō fuisset missus. Matth. 21, 37. Nisi ovis & dracha-
ma amissa fuissent, neque gaudij fuisset materia. Luc. 15. Sic nisi peri-
issent per peccatum mortales, Christus non venisset: sic ipsomet at-
testante, Matth. 15, 24. Nō sum missus, nisi propter eves perditas domini Israhel.

XX IV.

Tertium probationis Genus ex Scripturis ea monstrant loca,
quæ Adamum & Christum invicem comparant, hunc respectu li-
berationis à peccato: illum respectu introductionis peccati. Rom.
5, 12. & seqq. immo quæ Christum disertis verbis nominant ultimum
Adamum, Hominem secundum de cœlo, i. Cor. 15, 45. & 47, quæ de-
niq; idē Christo nomen Jesu in dirum esse perhibent, quia populū
suum sit liberaturus à peccatis suis. Matth. 1, 21. Sed

XXV.

Sed in promptu sunt rationes etiam, satis firmiter idem astruens, I. Inde divina bonitas ac dilectio magis nobis peccatoribus innotescit, secundum illud Apostoli, Rom. 5, 8. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; &c.*

XXVI.

II. Misericordia locum non habet, nisi ubi praecedit miseria. Atqui missio & Incarnatio Filij Dei sunt opus misericordiae divinae. E. respectu atque intuitu nostrae misericordiae utraque facta sit, necesse est.

XXVII.

Accedit consensus purioris Antiquitatis: Ubi primas merita tener illud Symboli Niceni: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de celis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, & Maria virginie, & Homo factus est.*

XXVIII.

August. l. i. de peccator. meritis & remiss. c. 26. Ex Scripturis sufficienter apparet, Dominum Iesum Christum, NON ALIAM, OB CAUSAM IN carne venisse, ac formam serui acceptam, factum obediens usque ad mortem crucis, nisi ut hac dispensatione misericordissime gratie omnes, quibus tamen inquit mēbris in suo Corpore constitutis, caput est, ad capessendum regnum celorum vivisceret, salvos saceret, &c.

XXIX.

Athanasius Serm. 3, contra Arianos: *Cum Filius Dei efficitur homo tamen causa substituitur, cur eum oporteat carnem gestare. Necesitas quippe indigentiaq; hominum anterior est, quam illius nativitas; quā sublatā, Carnē non induisset, in hoc enim apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.* I. Joh. 3, 8.

XXX.

Gregor. Nazianzenus Orat. 4, de Theologia: *Quæ humanitatis à Deo suscepta causa extitit! Perfectio, ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud causa afferri posset?*

XXXI.

Sed hic pedem figimus: & Theorematis istius usum finemq; practicum constituimus, ut partim immensam Dei bonitatem ac *pietatem*, in missione Filij abunde nobis declaratam: tūm peccati atrocitatem, ritè hoc tempore, imò semper meditemur: quæ tantæ fuit, ut non nisi ipsius Filii Dei, Agni illius immaculati, morte & sanguine tolli expiarivæ potuerit.

THEOREMA III.

Agnus ille Dei, non Fidelium tantum & Electorum: sed omnium omnino hominum, ne uno quidē indiviso præterito: & sic totius Mundi tollit peccata.

Theorema planè contradicitorum defendere studet Schola Calviniana : quale est illud Grynæi : *Iesu Christus TANTUM pro fidelibus mortuus est.* part. 3. Volumini primi disp. Theol. p. 33.

II.

Cui respondent ex aſſe reliqua Calvinianorum Emblemata, qualia ſunt :

I. Nunquam tempus ſuiffe, veleſſe, vel ſuturum eſſe, quo Deus voluerit, velit, aut volitus fit ſingulorum miſericordiæ. Beza, Resp. 2. ad Coll. Momp. p. 194.

II. Deum nunquam totum genu humānum dilexiſſe : ſed maximam partem odio habuiſſe, ideoq; eterno exitio deſtinat. Coll. Momp. p. 29.

III. Non eſſe miſum à Deo Filium, ut pro toto genere humano patretar, & Patri ſatisfaceret : ſed TANTVM pro Electis. Item.

IV. Christum pro impijs non crucifixum, neque ſanguinem ejus pro eorum peccatis expiandis ſaſum eſſe : ſed intolerabilem vocem eſſe : Christum pro damnatis mortuum eſſe. Beza in Coll. p. 514.

V. Gravem eſſe errorem, ſi Christus pro omnibus hominib. mortem dicatur op̄erūſſe. Toſl. disp. Anni 89. d. 5. Julij. 9. 20.

VI. Christum eſſe propitiacionem tantum pro peccatis Electorum, qui aut jam credant in ipsum, aut ſint aliquando credituri. Zanch. in Mifcel. l. 2. p. 280.

III.

Sed non Calviniani modò impietatem hanc gnaviter defendere student, quin noſtrates quoque Jesuwiſæ, à priore ſive antiqiuore Papatu, hac etiam in parte feo commiſſo Schismate, ejusdem patrocinium haud obſcurè fuſcipiunt.

IV.

Hoc ipsum ſibi vult confeffio illa Bellarmini; Credimus Deum ABSOLVTA voluntate velle salvare MVLTO S, tūm parvulos, tūm adultos : & ABSOLVTA voluntate alios non velle salvare, tūm parvulos, tūm adultos. Tom. 3. Controvers. l. 2. de grat. & lib. arb. c. 8. pag. 607, lit. B.

V.

Cæterū diversum planè Sacrarum literarum attestantur ora- cula : ea cum primis quæ Theoremate præcedente proximo produ- ximus.

Summa eorum eō tendit : Licet Deus lapsum Adami ab æterno præviderit : ipsum tamen benignum in miſericordia ſua, iterum cogitationes pacis & non afflictionis ſuper nos cogitasse, Filio ſuo unigenito incarnationi deſtinato, per quem fieret UNIVERSI GEN- EIS HUMANI, in peccata & morte prolapſi, restauratio. Clas-

VII.

Classicum hac in parte est oraculum præsens' Johanniticum :
Ecce, Agnus ille Dei, qui tollit peccatum M V N D I.

VIII.

Explicat hoc luculentius alter ille Johannes Evangelista & Apostolus, i. epist. 2, 2, Christus est propitiatio pro peccatis nostris : Non autem pro nostris tantum : sed etiam pro peccatis TOTIVS MUNDI.

IX.

Planius profecto nihil quicquam, pro sententia nostra dici poterat : id quod initio luculenter evicit Terminus collectivus, (MUNDUS.)

X.

Deinde vero *meosopus* ille : Cum enim universum genus humandum, non nisi in classes duas dispisci queat, quarum una est piorum, sive fidelium : altera impiorum & infidelium : ideo, ne quid dubitationis supereisset, noluit Apostolus contentus esse collectivo sive universalis enunciato : sed utrumque Christum propitiatorem esse, & tam pro toto Mondo, quam pro fidelibus mortem appetuisse, testari voluit.

XI.

Fingat jam aliquis cum Beza, Grynæus & complicibus, Mundi *Coll. Momp.* vocabulo notari tanum fideles : Quam quæso turpis *p. 512.* *nec*, Apostolica autoritate indignissimus : talis nimurum : Christus est propitiatio pro peccatis fidelium, non pro fidelium tantum, sed & pro fidelii.

XII.

Fingat porrò aliquis, Mundi terminum notare Ecclesiam Catholicam : ita ut, quemadmodum hæc est ac dicitur ideo universalis, non quod universi & singuli homines sint membra Ecclesia : sed quia ex toto mundo colligitur, nec certo loco aut genti est allegata : Sic Christus dicitur etiam propitiatio pro peccatis totius Mundi, non quod pro omnium omnino hominum peccatis, sed quod pro fidelibus per totum Mundum dispersis, mortuus sit.

XIII.

Quem in sensum Grynæus etiam verba Johannis sic torquet : *Part. 3. Vol. 1.* *Evangelista*, inquiens, non opponit infideles fidelibus : sed comparat fideles ex Theor. Theol. Gentibus, fidelibus ex Iudeis, in quorum numero ipse quoque erat. Hoc sane nomine, tantum fidelium respectu D. Jesus Salvator mundi totius, *p. 36.* pro toto mundo, pro omnibus hominibus recte dicitur mortuus & resuscitatus, quia nemo salvandus seu fidelis, in toto mundo unquam fuit, est & erit, pro quo non ipse unus sati fecerit.

XIV.

Magistralis nempè hæc est interpretatio : Quasi vero Johanni

C 3

pro

propositū fuerit hoc loco comparationē instituere inter fideles Iudaeos, & fideles Gentiles? An non pares isti sunt, quatenus fidèles sunt, & hoc respectu prorsus absolum est, illis *ā n d a g i e n t i s*?

XV.

Jam ergo quatenus beneficia mortis Christi omnibus fidelibus, sive Iudeis, sive Gentilibus sunt communia: eatenus certe illos non contradistinguere voluit Apostolus: sed illud potius evidenter astruiere: Christum non esse tantum propitiationem pro peccatis nostris, hoc est, fidelibus universis, tam ex gentilismo, quam ex Iudaismo conversis: sed & pro peccatis totius Mundi, hoc est, ceterorum quoque hominum infidelium omnium.

XVI.

Et observationem meretur, qualis hæc futura sit afflictarum mentiam consolatio, si ex verbis Apostoli, sensu Sacramentario de tortis, illæ sic compellentur: Si peccavimus, ne consternato simus animo: Habemus enim adyocatum apud Patrem, Christum, qui ex Iudeis, & Gentibus fideles redemit, vel, qui ex omni hominum ordine Electos vult salvari. Hoc nimis erit desperabundis funes ac laqueos desperationum longè periculosissimos injicere.

XVII.

Coll. Momp.
p. 517.

Præterea, si quis rursus cum Gryno statuat, Mundi & Totius Mundii vocabulis, *ā n d a g i e n t i s*, significari non omnes homines totius Mundi, sine omni delectu: sed FLOREM generis humani: hoc est, Beza interprete, optimam mundi partem &c. is eisdem absurditatum laqueis se constringet.

XVIII.

Quin imò Manichæi paratum habebunt impetratis patrocinium, afferentes, Deum condidisse Totum mundum, hoc est, optimam ejus partem, Electos & fideles: Impios vero & infideles creationis suæ originem habere à Diabolo.

XIX.

Quid? quod seipsum evertit hæc interpretatio: Si enim in totas Mundus hoc loco notat optimam Mundi partem, hoc est, Electos: Johannes autem se contra Totum hunc Mundum *ā n d a g i e n t i s*, sequetur, Johannem non fuisse ex optima illa Mundi parte: & per consequens, neque ex numero Electorum: *ā n d a g i e n t i s*.

XX.

Et tanta quidem vis est veritatis, ut Gryneus cauteriaræ conscientiæ judicium haud obscure prodiderit: Illud, inquiens, extra conventionis aliam est, in se consideratum *ā n d a g i e n t i s*. Christi sufficeret. Si quidem ita ferret

ferret, cui nemo nostrum à Confusione est. Voluntas ad salutem omnium in genere hominum: imò etiam corrum Spirituum, qui originem suam dereliquerant.

XXI.

Vel, uti alibi pleniù idem se explicat: Morit⁹ Christi non dēesse quidem valorem expiandi peccata omnium hominum, sed hoc à Deo destinata⁹ fuisset: Sed hoc consilium hanc voluntatem Deo de morte Christi ab aeterna nunquam constitisse, neque hoc in animū suum Deum unquam induisse.

XXII.

Verum non opus est ~~ad eo ē arē~~, aut cœlo scalas adinovere, & ipsa adyt⁹ consiliorum Dei per rampere: sufficiat nobis Consiliarius ille coelestis, Ies⁹, & ejusq; infallibilis interpres, Spiritus Sanctus, voluntate in Patris de universalī omnium hominum Redemtione, sole meridiano clariss⁹ in Scripturis explicans.

XXIII.

Joh. 1,9. Christus est lux illa vera, que illuminat (hoc est, ad illuminandum ordinata) omnem hominem venientem in hunc mundum.

Jes. 53,6. Deus posuit super ipsum iniqüitates Omnium nostrum.

2. Cor. 5,15. Vnde pro Omnibus mortuus.

1. Tim. 2,6. Christus dedit semetipsum premium redēctionis pro omnibus.

Tit. 2, 11. Illaxit Gratia Dei salutifera omnibus hominibus.

1. Tim. 4,10. Christus est Servator omnium hominum, maximè autem scđelium.

Rom. 8,32. Deus nō pepercit proprio Filio, sed pro nobis omnib⁹ tradidit ipsum.

Heb. 2,9. Christus pro omnibus gaudavit mortem.

XXIV.

Quid? quod Scriptura ipsam etiam speciem redēctorū impiorum pereuntium atque damnatorum disertè definit: ut

Rom. 14,15. Noli cib⁹ tuo perdere eum, pro quo Christus mortuus est.

1. Cor. 8,11. Perib⁹ frater tuus (nempe per abusum libertatis Christi) in scientia tua, propter quem Christus est mortuus.

2. Pet. 2,1. Apostolus affirmat de hæresiarchis, quod Dominum abnegent, qui ipsos redemerit, & sic subito exitio ipsi se involvant.

XXV.

Et hinc est, quod Christus vult annūciari Evangelium universo mundo: non Electis tantum, sed omnibus gentibus, imò omni creaturæ (rationali scilicet) quæ sub cœlo est.

XXVI.

Hinc est, quod impij ob incredulitatem æternū peribunt: incredulitas autē hæc universale Gratia divina oblationē necessaria præsupponit.

Hinc

X XVII.

Hinc est, quod Deus ipse sancte attestatur, se nolle mortem MARIENTIS. Jezech. 18.31, 32.

XXVIII.

Hinc denique est, quod Deus omnium hominum salutem serio & ardenter experit.

Rom. 11. Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium miseretur.

I. Tim. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.

2. Pet. 3.9. Deus non vult, ut ullus pereat, sed ut omnes ad paenitentiam veniant.

Sap. 11. 25. Tu misereris omnium: Diligis enim omnia que sunt, & nibil odisti eorum, que fecisti.

XXIX.

Quibus ita constitutis, sequentes Calvinianorum flosculos ad orcum relegamus.

I. DEVM absoluo omnesq[ue] causas antegrediente decreto multo maximam Mundi sine hominum partem, ad aeternum exitium destinasse.

II. DEVUM non misisse Filium, ut pro toto genere humano pateretur, ac divine justitiae pro omnibus omnino hominibus sati saceret.

III. CHRIS TVM pro impijs non esse crucifixum.

IV. DEV M nolle, ut omnes homines, etiam reprobivocentur ad regnum Gratia.

V. Si reprobis prædictur maxime Evangelium, Deum tamen non serio ipsos vocare ad fidem & paenitentiam: neque eo fine, ut salvantur, sed ut graviorem damnationem accipiant.

Hæc & consimilia dogmatum monstrata, cum sacrilegia in Spiritum Sanctum blasphemia conjuncta, verissimi præcipiti loco Orthodoxi omnes esse arbitrantur, quo in barathrum desperationis, & extremæ in Deum impietatis homines adducantur: Quæ ut portæ Scholiis & Ecclesijs nostris arceat Clementissimus Pater cœlestis, infinitam ipsius misericordiam suplices veneramur. Amen.

Vincat Veritas.

Umg. VI 18

ULB Halle
003 018 784

3



5b.

Petra
VD 17

Z

Farbkarte #13



B.I.G.

D. O. M. A.

THEOREMATA TRIA

THEOLOGICA

Ex aureo illo Johannis Baptiste de

CHRISTO oraculo: Ioh. 1, 29.

ECCE, AGNUS ILLI
DEI, QUI TOLLIT PEC-
CATUM MUNDI.

*Ordinariæ Disputationis loco, in illustri Academ-
mia VVitebergensi proposita:*

&

*Calvinianorum, GRYNAEI potissimum strophis ac
Sophisticationibus opposita:*

Autore & Preside

LEONHARTO HUTTERO:

SS. Theologiae Doctore, & Professore, P.

Respondente

MÆGIDIO STRAUCHIO, VVITE-
bergenſi, Collegij Philosophici Adjuncto.

a. d. ult. Martij: horis à sexta matutinis.

WITEBERGÆ,

Typis Cratonianis per Iohan. Gorman.

ANNO M. DC. IX.

